



**S**italchus ex præcipuis Gothorū proceribus ob  
 Segregia fortitudinis opera, & summā in discipli-  
 na militari peritiam Gothorum in Scythia rex eligi-  
 tur, anno mundi 366. Hic cum cogitaret, qua impi-  
 etate Philippus rex Macedonum Vdisitanam urbē  
 impugnasset, exercitum centum quinquaginta mil-  
 lia pugnatorum contra Perdicam regem duxit, qui  
 Alexandrum Magnum proximè secutus fuit. In ea  
 expeditione totam Macedoniam longè lateq; ua-  
 stavit, & magnam gloriam adeptus est. Eo tempo-  
 re Macedones, qui totam prius Asiam deuicerant,  
 sese intra urbes continebant, nec in iustā aciem con-  
 tra Gethas prodire audebant. Itaque Sitalthus tota

Græcia uastata, & omnibus ferè locis direptis, exercitum prædis onustum in-  
 columem domum reduxit. Iust. Ioan. Mag. lib. 3. cap. 12.